

Concillii generalis pro quolibet fratris refractarii peccato : unde rectius, secundum alibi dicta, *Ecclesiae* nomine intelligitur Prælati Ecclesiae.

*Ad prob. 2. R.* Apostolis tam simul quam singillatim spectatis convenisse jurisdictionem spiritualem in peccatores sibi subditos, ultro fatemur : Petrum autem fuisse eorum subditum, vel Apostolos seorsim a Petro sumptos repræsentasse totam Ecclesiam, vel conjunctim cum illo sumptos spectare ad præsentem controversiam, tria sunt quæ negamus.

*Inst. 1.* Idem constat rursus : 1º. ex figura Ecclesiae, quæ *columna et firmamentum veritatis* ab Apostolo dicitur, et contra quam portæ inferi, teste Christo, non prævalent : 2º. ex forma propria ; cum Conc. Hierosolymitanum. Act. 13. scripserit : *Visum est Spiritui sancto et nobis* : 3º. ex Dei promissione Matth. 18. v. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ergo.

*Ad prob. 1. R.* Elogium hoc omnino proprium est Ecclesiae, instructæ suo capite, ut 1. ad Tim. 3. insinuat, et fundatæ super petram, ut Matth. 16. dicitur, adeoque Ecclesiae cum summo Pontifice conjunctæ : ad hanc vero comparatio nostra et quæstio non refertur.

*Ad prob. 2. R.* Nec hoc Concilium fuit sine summo capite ; cum Petrus inibi primam sententiam dixerit : nec fuit universale ; cum neque Apostoli neque Episcopi jam constituti interfuerint aut evocati sint omnes. Quare, nisi infallibilitatem hanc ad donum Apostolicum referas, eandem vindicabis non tantum œcumenico, quod sine præjudicio theseos nostræ largimur sponte, sed et particulari cuilibet Concilio.

*Ad prob. 3. R.* Quod et qua ratione allatus textus pro auctoritate Conc. Œcumenici valeat, num. 132 declaravimus : ex ibidem dictis autem constat titulum œcumenici nec copiosiori præcise multitudini competere, nec rariori conventui negari ; cum non numerus, sed auctoritas Christi in Vicario residens illum largiatur.

*Inst. 2.* PATRES consentiunt potestatem clavium *immediate* datam esse Ecclesiae. Eas enim 1º. datas esse Apostolis et pastoribus omnibus, dicunt Cypr. de unit. Eccl., Ambr. de dign. Sacerd. c. 2, Chrysost. Homil. 79. in Matth., Hieron. L. 1. contra Jovinianum : 2º. Easdem Petro quidem, sed ut Ecclesiae signum, figuram et personam gerenti, traditas docet Aug. Enarr. in Psalm. 30. et 18, Tr. in Joan. 50. 118. et 124, Homil. 27. et 30. aliisque in locis : 3º. Ipsam denique Ecclesiam, cui datæ sint claves, diserte expriment Fulgent. L. de Fide c. 3, Gregor. L. 6. Exposit. c. 16, Beda in c. 21. Matthæi. Ergo cum superior sit, qui potestatem immediate habet, eamque alteri communicat, Ecclesia superior est Pontifice.

*R. N. Assert.* De quo vide Tract. de Leg. et num. 176.

*Ad prob. 1. C. Ant. sed N. Cons.* Apostoli enim divisim accepti Ecclesiam nec plene constituunt, nec repræsentant : collective autem sumpti, sive cum, sive sine Petro, alterutrum defectum iterato jam reprobatum trahunt.

*Ad prob. 2. et 3. R.* Repetenda hic veniunt, quæ num. 157. in resp. ad prob. 2ºm breviter sunt dicta : Petrum nempe figuram ac personam Ecclesiae obisse, ut Rex Regni et Princeps civitatis vices gerit : potestatem autem datam esse Ecclesiae finaliter, quatenus hujus causa et ad hujus utilitatem illa conferebatur Ecclesiae Præpositis. Cæterum duplex loquendi ratio, mystica et minus litteralis, hic a Patribus usurpata fuit occasione hæreticorum ;

prior quidem contra *Montanistas*, qui dixerunt potestatem peccata dimittendi in Ecclesia cum Petro interiisse : posterior contra illos qui etiam extra Ecclesiam dimitti peccata posse contendebant.

*Inst. 3.* Ipsi PONTIFICES fatentur Concilia sibi superiora : Nam 1º. Julius Cælestinus, Leo, Simplicius, Agapetus, Gelasius et alii contestantur, Conciliorum canones sibi dominari, se autem contra illos nil posse dispensando aut abolendo : 2º. Tum alios, tum ipsum Pontificem, delinquentes deferendos ad Ecclesiam asserunt GREG. L. 4. epist. 38. scribens Joanni Constantinopolitano : *Quidquid facere humiliter debui, non omisi ; sed quia in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere* ; NICOLAUS in epist. ad Lothar. Regem monens : *Præcave, ne duos vel tres testes adhibeamus, imo zero ne hoc Ecclesiae dicamus, et, quod non optamus, fias sicut ethnicus et publicanus* ; SYLVESTER II. in epist. ad Seguin. Senon. aiens : *Instante dico, quod si ipse Rom. Pontifex in fratrem peccarit, sæpiusque admonitus Ecclesiam non audierit ; hic, inquam, Pontifex habendus est sicut ethnicus et publicanus* : 3º. Causas, non a se, sed a Conciliis terminari posse ac debere, scripserunt Siricius ad Conc. Capuanum de causa Bonosi, Innocentius III. ad Clerum Constantinopolitanum de causa S. Chrysostomi, Innocentius III. L. 3. Regest. 15. epist. 104. de causa Philippi Augusti Regis Franciæ.

*R. N. Assert. Quoad prob. Ad 1.* Responsum jam est num. 173. solutione ad prob. 2ºm data ; quæ cum Pontificum hic nude appellatorum facta exponat, recolenda est. Adde his dicta et facta contraria, num 171. a nobis prolata.

*Ad 2. D.* Pontifices tum alios tum se deferendos asserunt ad Ecclesiam, intelligendo per hanc suum tribunal aut personam suam publicam, C. intelligendo Concilium aut aliud quid a se distinctum, N. Ita certe exponit S. THOM. 1. c. Quæst. 2. ad 4. dicens : « Prælati potest dupliciter considerari, aut secundum quod judicio præsidet ; et sic dicere Prælato est dicere Ecclesiae, et sic debent prius testes adhiberi, quam Prælato dicatur : aut extra judicium existens ; et sic dicere Prælato non est dicere Ecclesiae, sed personæ quæ potest prodesse et non obesse ; et secundum hoc debet prius dici Prælato quam aliis testibus. » Ita etiam declarat factum duorum Pontificum priorum ; cum GREGOR. epist. 30. et 39. edixerit Joannem Constantinopolitanum *perdidisse fidem* et esse *Antichristi præcursorem*, NICOLAUS autem Lothario *excommunicationem* indixerit ; uterque sine habito vel indicto Concilio eoque progressus. Quod a SYLVESTRO pronuntiatum additur, Pontificis confessio non est, sed Gerberti Archiep. Rhemensis, ante Pontificatum carens auctoritate scriptum, quando is a Papa depositus et contra Apostolicam sedem erat animo exacerbatus.

*Ad 3. R.* Assertum si teneret, Pontificem particulari etiam Synodo subiceret ; quod quam certo sequeretur, cum memorata Concilia fuerint particularia, tam est absurdum et a nemine admissum : sed falsitatem ostendit brevis causarum expositio.

1º. Etenim, cum Bonosi Ep. Sardicensis causam Capuana Synodus Anysio Ep. Thessalonicensi commisisset, is autem ob occurrentem difficultatem judicium retulisset ad Siricium, hic recusavit rem cognoscere, non quidem ob defectum potestatis, sed tum quia cognitio causæ ob distantiam loci et absentiam agentium facile suscipi non posset, tum ne videretur Pontifex

quasi subdelegatus a Concilii delegato rem judicare : quam utramque rationem Siricius in suo responso attingit.

2<sup>o</sup>. Nec INNOC. I. fassus est Chrysostomi causam a se definiri non posse ; cum potius sententiam pseudosynodi ad Quercum resciderit, et Chrysostomum sedi suae restituerit : scripsit tamen ad causam penitus finiendam necessarium esse Concilium ; quam necessitatem imponebant populi diversa studia, Episcoporum æmulatio et odia, aulæ artes et violentia.

3<sup>o</sup>. Recte INNOC. III. scripserat Philippo Augusto nihil se audere aut definire aut dispensare pro dissolvendo matrimonio ejus consummato ; cum res ex verbis Christi indubia esset, id non licere. Addidit vero : *Si super hoc absque deliberatione Generalis Concilii determinare aliquid tentaremus, præter offensam et mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurere, forsitan ordinis et officii periculum immineret* ; non quasi plus aliquid concilium posset contra jus divinum ; sed ut Pontifex ostendendo multiplex damnum ex concessione in se redundans, quod averti non posset nisi in casu impossibili agentis secum contra jus fasque Concilii, honesto et humano etiam titulo declinaret Regiam sollicitationem.

*Inst. 4* Tam facta quam dicta Conciliorum Generalium ostendunt horum supra Pontifices superioritatem. Nam Concilium Constantinopolitanum III. damnavit Honorium : Pisanum deposuit Benedictum XIII. et Gregorium XII. quam penam in eisdem repetiit Constantiense, extensa eadem in Joannem XXIII ; imo Basileense Eugenium IV. solemniter etiam abjecit.

*R. ad Arg. N. Assert.* quod alteram controversiæ partem non observat, arguendo potissimum a Pontificibus dubiis aut hæreseos insimulatis ; cum tamen de certis, legitimis et fidelibus thesis sit posita. Exempla mox dictorum occurrunt in factis objectis. Honorius enim arguebatur hæreseos, et ob ejus sive favorem sive crimen damnabatur ; et quidem jamdudum mortuus, ubi nulla amplius potestate vigeat. Præterea si judicium hoc latum est probante sede Apostolica, conjunctum cum Pontifice habetur Concilium, et cessat systema controversiæ : si nolente aut non probante hac sede res evenit, in Patrum facto deest auctoritas, huic iudicio communius adscripta. Actio Pisana in BENEDICTUM et GREGORIUM auxit, prosecutio Constantiensis in eosdem et Joannem sustulit schisma ; proinde utriusque potestas ferebatur in Pontifices dubios, de quibus non disputatur. Depositio EUGENII a Basileensibus tentata, ausus erat seditiosus, non solum a Concilio Florentino damnatus, sed reprobatus etiam a tota Ecclesia et posteritate.

*Inst. 5.* In Conc. Florentino Sess. 9. BESSARIO assumpsit tanquam principium, cui a Latinis non legitur contradictum, *Ecclesiam Romanam, quanta facultate polleat, minus tamen pollere synodo œcumenica et Ecclesia universali.* Decretum autem unionis cum Græcis, asserens Romano Pontifici potestatem gubernandi universam Ecclesiam, adjicit hanc restrictionem : *Secundum quem modum et in actis Conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur* ; quæ lectio vulgatæ huic : *quemadmodum etiam in actis etc.* præferenda est ; tum quia græcam vim καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς etc. accurate exprimit : tum quia Blondi, Pontificii hoc tempore Notarii, et Vigerii est interpretatio.

*R. quoad prius.* Nec ex eo quod BESSARIO inter disputandum afferat hanc propositionem, illa verum est principium ; cum ibidem etiam addat : *Nosse*

*tamen volumus Reverentiam vestram, a nobis facultatem* (addendi aliquid symbolo) *hanc negari universæ Ecclesiæ et Synodo etiam œcumenicæ ; quod oppido falsum est : nec verum est, quia a Latinis non sit contradictum : quoniam id vel non constat ; cum opposita tunc a Rhodio etiam cætera in Actis adnotata non legantur ; vel contradicendi non erat tempus ; quia mox alteram post sessionem a Card. Juliano prior de additione controversia fuit abrupta : vel expresse contradicendi non erat necessitas ; cum aliis argumentis continuo probaretur additionis potestas. Præterea verum esse poterat, hoc nempe sensu, quod Ecclesia Romana minus extensive, certe et facile polleret, quam Ecclesia et Synodus universalis.*

Quoad *posterius*, nego fieri restrictionem ; sed est comparatio aut potius inductio exercitii et usus in Conciliis et canonibus patentis ; quæ per versionem et auctoritatem indicatam non turbatur, cum pro retinenda nostra etiam accedat frequens in hanc significationem usurpatio græcarum vocum ; et commutissimus Interpretum sensus.

179. *Objic. III.* CONC. CONSTANTIENSE Sess. 4. sic decernit : *Quod ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dieti schismatis et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris* : Sess. 5. autem idem repetit et addit : *Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis status et dignitatis etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis vel ordinationibus aut præceptis hujus sacre Synodi et cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigne penitentia subiciatur et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.* Quæ quidem decreta postmodum ab ipso etiam Eugenio in Bulla *Dudum*, a Basileensi autem Concilio repetitis quinque vicibus fuerunt confirmata.

*R. Universim* : Sensus horum decretorum saltem dubium esse et controversum, ostendunt PII II. et GREGORII XII. contraria declaratio, Joannis de Turrecremata oppugnatio, Gersonis et Petri de Alliaco, licet adversariorum, hæsitatio, et Theologorum, Nationum, excepta Gallicana, omnium diuturna et fere communissima repugnantia : qui si talis non foret, sed ad adversariorum mentem sancitus, nemo Catholicorum illi contradicere posset sine hæreseos nota, quemadmodum etiam Basileenses in postrema sua epocha statuere sunt ausi : hanc tamen sequelam et censuram tanquam absurdam et immoderatam ea jam ætate repudiaverunt omnes, et nullus etiam hodie ex adversariis facile tuebitur. Quod confirmationem decretorum jactatam attinet, cam ab EUGENIO factam esse non evincitur ex Bulla *Dudum*, in qua Principum armata suasionem, terrore schismatis et temporum iniquitate permotus Pontifex dissolutionem Concilii a se factam et Bullas hanc elocutas revocavit, Conciliumque Basileense legitime coeptum ac continuatum declaravit.

Nam 1<sup>o</sup>. hæc faciens, *progressum quidem Concilii, non autem decreta* approbavit : ut declarasse Eugenium Turrecrem. L. 2. Sum. c. 100. testatur ; et

olim Damasus Constantinopolitanum, Leo Chalcedonense, et Martinus Constantiense Concilium approbantes, non omnia hinc decreta affirmasse intelliguntur. 2°. In Bulla *Dudum* nec dissolutionem revocat, nec continuationem probat *simpliciter*, sed sub hac conditione gemina, imprimis *ut omnia et singula contra auctoritatem Pontificiam facta et gesta per dictum Concilium prius omnino tollantur et in pristinum statum reducantur*; deinde *ut missi ab eo Deputati ad præfati Concilii præsentiam cum effectu admittantur*; quarum neutra tamen est expleta. 3°. Hinc in epist. ad suos in Germania Legatos, apud Raynald. ad A. 1446. scribit, *suscipi ac suscepta esse a se Constantiense et Basileense Concilia, absque tamen præjudicio juris, dignitatis et præminentiae Sedis Apostolicæ et potestatis sibi concessæ*. 4°. Demum Idem Eugenius in Bulla *Moses*, ejus Legati in Concilio Moguntino et Bituricensi, quin et Card. Arelatensis hic contrarius, abhorrentiam Pontificis ab his decretis contestantur.

Ex his porro apparet nec multiplicatam a BASILENSI confirmationem valuisse quidpiam; cum illud consensum Pontificis nunquam habuerit, adeo ut, pace postmodum inter Nicolaum Eugenii successorem et Basileenses tandem facta, non approbata fuerint, nisi quæ gesta erant circa censuras et causas beneficiales. Sed speciatim adhuc videre juvat, quam multiplici ex capite laudatis Decretis omnis detrahat auctoritas. Itaque progrediendo ex ordine ab uno ad alium receptum :

R. I. Decreta hæc valere tantum pro tempore orti circa Pontifices *SCHISMATIS*, et de *PAPIS DUBIIS*; minime autem extra hujusmodi schismatis tempus et de Pontificibus certis. Veritas responsionis constat :

1°. Ex *VERBIS DECRETI*: sic enim incipit: *Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis et unione ac reformatione Ecclesiæ etc.*: pergit autem in textu primi ita: *Obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis*: et in contextu secundi his verbis: *qui hujus sacre Synodi et cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati super præmissis*, (extirpatione scilicet præsentis schismatis et unione ac reformatione Ecclesiæ) *seu ad ea pertinentibus etc.* In illo autem schismate tres fuisse Pontifices Ecclesiam in diversa scindentes, eosque dubios ac demum depositos, ex Conciliorum historia liquet.

2°. Ex *FACTIS CONCILII*. Tres nationes contra unam Germanicam suffragium pro reformatione Ecclesiæ electioni Papæ præmittenda ferentes, hanc rationem afferunt, *quod Papa electus ligari non possit*: ipsum autem Concilium Sess. 39. decernens, a Papa singulis quinquenniis Concilium congregandum, ubi §. 1. de executione a Papa certo præstanda loquitur, nullam pœnam indicit: ubi autem §. 2. de eadem executione tempore schismatis et dubii Pontificis agit, pœnas statuit. Similiter quamvis in Sess. 5. decreto adjectæ sint pœnæ; tamen in Sess. 38. ubi decernitur, Pontificem mox eligendum debere Ecclesiam reformare, pœnarum mentio fit nulla. Demum cum post electionem Martinus, paucis decretis editis, nollet ulterius progredi; Concilium facile cessit, non ausum coactiva potestate erga certum Pontificem uti.

3°. Ex *TESTIBUS*. Eugenius IV. in Bulla *Moses* Florentiæ data damnat *præsum* Basileensium sensum de Decretis Constantiensibus: damnari autem non poterat, si illi existimassent de fide, Papam dubium subesse Concilio: ergo

cum certum Pontificem subderent Concilio, et in hoc pravum sensum haberent, sensus Concilii Constantiensis erat tantum de dubio. Aeneas Sylvius, in oratione Viennæ habita, non loqui Constantiense de Pontifice certo, nisi in casu hæresis, affirmat. Joann. de Turrecremata, in Apolog. in Concilio Florentino recitata de Constantiensi Decreto, sic ait: *Non loquitur de schismate quocumque, sed tantum de schismate illo tempore currente, quo decretum est.*

Nec obstat quod Papa declaretur subjectus, etiam quoad ea quæ decernerentur pertinentia *ad fidem*, et damnatio Wicleffi ac aliorum in hoc Concilio prodiret; adeoque decreta ad aliud etiam tempus ac certos Pontifices extendi videatur. Nam ut omittam has voces, *ad fidem*, in primis Concilii editionibus non reperiri; incredibile prorsus est, Concilium his vocibus respexisse ad hæresin sub Papa certo damnandam; cum nulla tum ageretur quæstio, an Pontifex legitimo Concilio circa fidem definienti obedire teneatur? ideoque illas non nisi conjunctive aut relative ad schisma præfocandum usurpatas adhibuisse. Hoc certe tempore schismatis fautor habebatur de *hæresi vehementer suspectus*; auctor autem schismatis aut pars ejus præcipua, quales tum erant Antipapæ, damnabatur *tanquam hæreticus et schismaticus*, ut Card. Cameracensis in schedula initio Concilii exhibita monet: ex quo etiam factum est ut Papatum deponere recusantes a Procuratore Concilii hæresis et schismatis accusarentur.

Porro quod quidam JOANNEM XXIII. fuisse legitimum Pontificem contendunt, ut scilicet arguere possint Concilium in Papam certum exercuisse jurisdictionem, palam repugnat historia, quæ docet magnam Europæ partem Antipapæ aliis adhæsisse, non facto solum, sed et probabilibus juris rationibus: unde objectio hæc facile dissimulari potest.

R. II. Concilium Constantiense, dum decreta conderentur, non fuisse *ŒCUMENICUM*; adeoque decreta hæc auctoritate Conc. œcumenici carere. Sequela patet: Assertionis autem ratio est, quia œcumenicum non erat:

1°. ex *convocatione*; cum ea neque a Papa indubio, neque a Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ certis aut pluribus, neque ab Ecclesia universali auctoritatem legitimam nancisceretur: præsertim cum Joannes XXIII. Gregorio, et Patres Sess. 20. Benedicto concesserint, novam Concilii convocationem ab iis celebrari.

Nec 2°. ex *congregatione*; cum ex Actis apud Van der Hart Episcopi 70 duntaxat Joanni adhærentes, nec iidem tamen omnes, adessent; nullus autem ex Episcopis obedientiam Gregorio et Benedicto præstantibus, quorum tamen pars major fuerat, et jus, præsertim Gregorii, non improbabile.

Nec 3°. ex *celebratione*; cum collatio fuerit acephala, etiam Joanne post sessionem 2<sup>am</sup> fuga dilapso, deliberatio autem et decisio defectibus suis non careret, ut proxime ostendetur.

Nec 4°. ex *confirmatione*; cum decreta a Joanne fugitivo non haberentur rata, a Gregorii et Benedicti obedientia autem reprobandentur etiam: quod idem si a Martino, in Bulla *Inter cunctas*, supremam auctoritatem sedi Apostolicæ asserente, et in altera *Ad perpetuam*, appellationem a Pontifice ad Concilium prohibente, non fuerit æquivalenter factum; confirmationem tamen datam fuisse, ex infra dicendis nunquam probabitur.

Nec 5°. ex *adaptatione*; cum etiamnum, præter Gallicam forsan, natio

nulla illud universim acceptet. Unde multiplex disparitas patet hanc inter et Ephesinam ac Tridentinam Synodum, ad quarum illam Orientales cum Joanne Antiocheno nullatenus, ad istam vero Galli serius accesserunt.

*R. III.* Controversa decreta nec *RITE* fuisse *FACTA*, nec a Martino V. *CONFIRMATA*.

1<sup>um</sup> ostenditur: 1<sup>o</sup>. Ex defectu deliberationis. Cum enim materia esset gravissima, et sententia decretis opposita, ipso Gersonio teste, non communis tantum, sed habita ut certa; pro quaestione exigentia adhibitum non est tempus sufficiens; quia octo duntaxat dies inter JOANNIS fugam, quæ occasionem decretis dedit, et definitionem Patrum intercesserunt: nec inquisitio argumentorum sufficiens; quia in sermone Gersonii, primarii licet actoris, hac de causa in Synodo pronuntiato, monumentum nullum ex Scriptura, Conciliis aut Patribus affertur, sed SS. Thomæ et Bonaventuræ textus duntaxat quidam, iique perperam intellecti, nec disputatio in utramque partem sufficiens; quia Actis testantibus, de hac quaestione per Cardinalem Florentinum cum aliquibus Deputatis aequaliter disputatum est.

2<sup>o</sup>. Ex defectu Consensus. Tum quia testante non solum Joanne in epp. ad Ladislaum Poloniae Regem et ad Ducem Bituricensem, sed et Actis protestationem Cardinalium et Nationum referentibus, multa per vim, terrorem, strepitum et contumeliam fiebant in hoc Concilio; tum quia ex Actorum relatione ante Sess. 4<sup>am</sup> Cardinales monuerunt Nationes, ut suspendent ad tempus materias, quæ magnas habent difficultates et maturam exigunt deliberationem; ante 5<sup>am</sup> autem iidem cum Oratoribus Regis Galliae secreto protestati sunt, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi iis quæ audierant statui in ea debere; in utraque autem testibus Turrecremata et Eugenio, nonnulli graviores reclamantes, perstreperente multitudine, silere coacti sunt.

2<sup>um</sup> ex eo ostenditur, quod MARTINUS Sess. ultima professus sit, *Omnia, singula, determinata, conclusa et decreta in materiis fidei conciliariter, se approbare et ratificare, et non aliter nec alio modo.* Sed decreta controversa imprimis facta non sunt conciliariter; ut ex defectibus in hac et priori responsione prolatis manifestum est: deinde nec sunt in materia fidei; quia salva fide de præsentis materia disputari in utramque partem volunt adversarii, et in ipsa Sess. 5<sup>a</sup>. Synodus hæc decreta reposuit inter constitutiones synodales, quas distinxit ab *avisamentis in materia fidei*; et lata non sunt sub poena *anathematis aut hæresis*, materiæ fidei propria, sed tantum sub poena *penitentiae aut punitionis* contra transgressores contumaces. Ergo.

*Objic. IV.* Jus sacrum, Ratio et Auctoritas repugnant præcellentiæ Pontificis supra Concilium: ergo.

*Prob. Ant.* 1<sup>o</sup>. Usus Occidentalium Conciliorum Generalium docet, Pontifices etiam iis præsertim, non edidisse decreta, nisi sacro approbante Concilio: ergo cum ex approbatione pontificia superioritatem Papæ colligere studuerimus, ex hac praxi multo magis in Papam se junctum superioritas Concilii demonstratur. 2<sup>o</sup>. Dist. 93. Can. 24. ex Hieron. dicitur: *Si auctoritas quæritur; orbis major est urbe*; in quem observat Glossa, inde concludi posse, decretum Concilii prævalere decreto Pontificis. 3<sup>o</sup>. Dist. 49. Can. 9. et Dist. 40. Can. 6. statuitur, Concilium habere potestatem accusandi et iudicandi Papam de hæresi; ubi ad postremum Canonem Glossa imprimis petit disparitatem,

quare idem de aliis etiam criminibus non possit: deinde asserit, id omnino habere locum, si quidem Papa committit crimina alia cum scandalo Ecclesiæ, et est incorrigibilis.

*R. ad Arg. N. Ant.* quod plus assumit, quam probare possit. *Ad ejus prob.* *R. praxin* allatam nihil officere; Glossæ autem, si qua est, auctoritatem non esse tantam, ut rem decernat. Hinc

Quoad 1. *R. praxin* hanc et recentiore esse, cum in Lateranensi III. primum cœpta sit; et his verbis nihil exprimi, nisi consensum Concilii sive sententiam iudicio Pontificis conjunctam et subordinatam. Disparitas porro inter approbationem Concilii et Pontificis tum ex hoc ipso, tum ex dictis num. 177. contra exceptionis 1<sup>æ</sup> membrum 3<sup>um</sup> constat.

Quoad 2. *R. Quis Hieronimi sensus sit*, dictum est num. 173. Ad partis 1<sup>æ</sup> membrum 3<sup>um</sup>: collectio Glossæ nulla est; cum a facto procedat ad jus, et ex consuetudinis inter minores prædriam concernentis auctoritate, desumat potestatis inter supremos judicialis mensuram.

Quoad 3. *R. Discrimen*, quod Glossa petit, stat in eo quod Papa hæreticus desinat esse membrum Ecclesiæ, et hinc etiam caput, et consequenter potestatem in Ecclesiam amittat; quæ per crimina alia non fiunt. Cæterum in casu etiam hæresis Pontifex subjicitur Ecclesiæ, non ut deponatur, utpote qui jam Pontificatu exciderit; sed ut declaretur hæreticus, et Ecclesiæ innotecat, lapsum in hæresin non amplius esse Pontificem: ante quam declarationem tamen non licet negare illi obedientiam; quia eo usque retinet jurisdictionem, non quidem de jure et quasi adhuc foret Pontifex, sed tantum de facto, Deo ita volente et dispensante propter commune Ecclesiæ bonum: quemadmodum in simili casu de Episcopis et Parochis communius docetur. Assertum Glossæ nihil valere prodit ratio ejus adjecta: *Nam contumacia dicitur hæresis, et contumax dicitur infidelis*; quæ omnino falsa est; aut si vera foret, jam non propter crimen aliud, sed immediate propter hæresin, Pontificem Concilio subjectum probaret.

*Inst. 1.* Ex lumine rationis constat, totum esse majus sua parte: Concilium autem est totum morale, et Pontifex tantum pars: ergo. 2. Est de fide, quod Concilium generale sit infallibile; non autem de fide est Pontificis infallibilitas: ergo et potior est auctoritas Concilii quam Pontificis. 3. Dogmata fidei et morum tradita sunt, non soli Petro et Romanæ Ecclesiæ, sed aliis etiam Apostolis et Ecclesiis; disciplina autem quænam congruat Ecclesiæ universali, melius Episcopi ex illa collecti judicant, quam unus Episcopus Romanus: ergo nec illa petenda sunt a solo Pontifice et Ecclesia Romana, sed ab Episcopis omnibus seu Concilio vel Ecclesia universali; et in hac ordinanda non Pontifex solus, sed Episcopi omnes proprium officium habent. 4. Sequeretur Ecclesiam carere remedio in extremis casibus, ubi Pontifex foret aut noxius Ecclesiæ ob scandalum vel tyrannidem, aut captivus vel amens; quod de Dei ac Christi provida erga Ecclesiam charitate incredibile videtur.

*R. Repeti* hic errorem superius commissum et Concilium a Pontifice se junctum confundi eum utroque simul sumpto.

Quoad 1. *R. Tenet* quidem principium naturale, sed Pontifex a Concilio se junctus illius pars non est; conjunctus autem, etsi pars sit, est tamen præcipua, et extensive quidem aut mole minor, intensive tamen et auctoritate

major, ut caput corporis aut Monarcha cõmitiorum; ideoque nec assumptum probatur, nec status quæstionis perdurat.

Quoad 2. *R.* Idem mutatae controversiæ vitium adest, si Concilium computato Pontifice accipiatur; sic autem sumptum duntaxat est infallibile: si semoveas eundem ejusque confirmationem, Concilium infallibilitate haud gaudere, num. 152. est demonstratum.

Quoad 3. *R.* De *dogmatibus* ea quidem tradita esse non Petro tantum sed et Apostolis reliquis, non Romanæ duntaxat sed et aliis Ecclesiis: eadem tamen repetenda potissimum esse ab Ecclesiis antiquissimis et Apostolicis, docent Irenæus et Tertullianus num. 73. laudati; quorum hoc asserto et alio etiam singulari evincitur, a Romana Ecclesia hac in re satisfieri expectationi præsertim posse. De *disciplina R.* memoratam hic notitiam præstare, ut Episcopi cæteri Romano Præsuli informationem de rerum usu et legum fructu ministrare queant; non autem efficere, ut suprema disciplinæ ordinandæ cura et potestas, Pontifici erepta, Episcopis cedat.

Quoad 4. *R. N. seqq.* Pro casu 1º Christus declaravit remedium Matth. 23. v. 2. *super cathedram Moysis sederunt scribæ et Pharisei: omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere:* Pro 2º volunt quidam adhiberi moderamen inculpatæ tutelæ ac defensionis jus naturale: sed Petri præhabenda est ep. 1. c. 2. v. 18. adhortatio: *Subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis: hæc enim est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitiam, patiens injuste:* quanquam de provida erga Ecclesiam bonitate Dei sperandum sit, hunc casum vix eventurum, aut alia ratione tollendum, quam scilicet S. THOMAS sup. laudatus indicavit. Pro 3º exemplum præbet Ecclesia Hierosolymitana Act. 12. pro Petro captivo ad preces conversa. Pro 4º idem est, quod habet et usurpat Ecclesia defuncto Pontifice: est enim perpetuo amens secundum rationalem vitam mortuus.

*Inst. 2.* Sententiam adversam tenuerunt 1º. ex Pontificibus PIUS II. et ADRIANUS VI; ex Cardinalibus Petrus de Alliaco Ep. Cameracensis, Franciscus Zabarella vulgo Florentinus, Nicolaus de Cusa seu Cusanus; ex Episcopis Alphonsus Tostatus et Nicolaus Tudeschus seu Abbas Panormitanus; ex Doctoribus Joannes Gerson, Jacobus Almainus, Dionysius Carthusianus, Joannes Eckius, Joan. Driedo, imo Joan. Maldonatus Jesuita. 2º. Ad easdem partes accesserunt Academiæ, præter Parisinam, Viennensis, Erfordiensis, Cracoviensis et Coloniensis, quarum responsa extant apud auctores. 3º. Denique incluta natio Gallicana cum magna Germaniæ parte in sententiam Concilii faventem hæc etiam ætate conspirat.

*R.* Tametsi reipsa, qui laudantur, faverent omnes; qualiscumque adversariorum causa patronos haberet quidem, auctoritatem tamen haud nancisceretur, quæ comparari cum opposita possit: sed enim aut falso aut vane aut frustra laudantur; ut ex descensu ad singularia manifestum est.

Itaque quoad 1. *R.* Nomen PONTIFICUM falso obtenditur; quia nec Pius II. nec Adrianus VI. in Pontificatu favit, sed tantum ante Pontificatum, ille ut Cardinalis Æneas Sylvius, hic ut Doctor Lovaniensis: prior etiam jam an. 1452. in Oratione contra Australes Viennæ habita ostendit sententiam suam mutatam; posterior autem nec tempus retractandi ob Pontificatus bre-

vitatem habuit nec necessitatem; cum Pontificibus ut privatim docentibus, non ut loquentibus ex cathedra, fallibilitatem tantum tribuerit.

Vane autem opponuntur CARDINALES: quia Cameracensis quantumvis pro præstantia Concilii in Pisano sentiens, hoc tamen concilium pro infallibili non habuit, et contra decreta Constantiensiæ cum aliis Pontificiis est protestatus: Florentinus Tractatu gemino de schismate subjecit quidem Concilio Pontificem, sed dubium; et ipse etiam Sanctionibus Constantiensibus se opposuit: Cusanus demum, quæ L. de Concord. scripserat Basileensibus addictus, dein Eugenio adjunctus 2. epp. ad Bohem. de Calic. usu enervavit.

Inter EPISCOPOS, Tostatus et Panormitanus objiciuntur incassum. Prior enim, ut Spondanus ait, injuriosè præ studio tuendi sua, in Pontificum etiam auctoritatem invecus est in suo Defensorio; commentans tamen in Cap. 16. Matth. Pontificem statuit regulam fidei infallibilem: alter a Ciaconio assertitur, non tam veritatis studio, quam Regis Aragoniæ imperio, et Felicis Cardinalitatem dignitatem dantis pretio, plura egisse indigne; quanquam quæ in Tit. de Electione scripsit, non tribuant Concilio infallibilitatem.

Ex DOCTORIBUS tandem Gersonium et Almainum adversariis facile cedimus; quia, quantumvis magni sint, schismatis tamen occasione ad Principia circa Pontificem ac Principes reipublicæ noxios prolapsi fuerunt, quæ civem et Christianum minime decent: unde et Richerius systema suum damnatum non ante judicavit in lucem proferendum, quam illorum opera ad molliendam sibi viam et auctoritatem parandam recenti editione præmisisset. Carthusianum et Eckium excusat non satis examinata Concilii Constantiensis auctoritas, ad quam uterque provocat, eodem tamen in loco concedens ea Pontifici, quæ cum potestate Concilii adscripta ægre conciliantur. Driedo L. 4. Dogm. Pontificem hæreticum duntaxat et schismaticum Concilio subdit: Maldonatus autem in Comment. c. 18. Matth. Ecclesiæ quidem tribunale asserit ultimum ac summum, sed tum hic tum alibi Ecclesiæ nomine Prælatum accipi declarat.

Quoad 2. *R.* ACADEMIAS memoratas, tempore inter annum 1440. et 44 interjecto, ad sententiam Concilii Pontificibus præferentem accessisse, haud mirum videri debet; propterea quod eorum socii ac Professores decreti et schismatis Basileensis auctores vel participes essent, quorum honoris, velut sui, tuendi studio, et precibus insuper sollicitati, ad has partes pertrahebantur. Eorum tamen responsa non admodum in pretio habita fuisse, docuerunt neutrae partes a Germaniæ Principibus tunc susceptæ.

Quoad 3. *R.* Quis GALLIÆ sensus sit, infra speciatim examinabitur. De magna Germaniæ parte, cujus illa nominis ac ponderis sit, quoniam Scholæ aut Doctores non nominantur, nos quidem nescimus: quæ vero illius argumenta sint, quoniam sicut merces et mores haud dubie e Gallia advenerint, ex hactenus disputatis sat videre licebit.

180. *Observa.* Provocatum ab Adversariis fuisse ad auctoritatem, quæ tum Conciliis tum Episcopis *immediate* a Christo data sit, ex Decretis Constantiensibus et quibusdam objectionibus advertere licuit. Ea provocatio, quatenus supremam auctoritatem Concilii a Pontifice sejunctis aut Episcopis vindicat, prolatis hactenus argumentis et responsis abunde refutata videtur: quatenus autem potestatem utrique propriam, quæ subordinata Ponti-